



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Art. I. Homo - Exterior Domus - Opus Naturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



# SERMO V.

## DOMVS SAPIENTIÆ

*Virtutibus, tanquam partibus constituta: variisque ornamentis externis & internis decorata.*

### ARTICVLVS I.

#### HOMO-EXTERIOR-DOMVS.

#### *Opus Natura.*



NGENTEM hanc Uniuersitatis molem quam incolimus, Mundi nomine celebrem, veterum sapientissimi, Urbem esse dixerunt, seu Civitatem, loquendi modo (a) Stoicis familiari, quo etiam utitur Cicerone (b) scribens 1. de leg. *Vniuersus hic Mundus una est Civitas; & alibi. Est Mundus, quasi communis urbs.* In qua simili concipiendi libertate, hominem quemlibet, dixerunt esse *Domum*. Bella fabrica, pulchrum palatium est Homo; *Domus Principis*: (c) *Quoniam inhabitabo, inquit summus Principum, in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum DEUS.* Et alibi tres Personæ diuinæ; *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* (d) Imprimis autem considero in Homine, tanquam regia quadam Domo, bipatentes sensuum exteriorum portas, que multitu-

(a) Sen, ad Marciam cap. 18. Lip. lib. 2. Stodiff. 7. (b) Cic. lib. 1. de leg. Lib. 2. de nat. Deos, (c) 1. Cor. VI. 16. Leuit. xxvi. 12. (d) Joann. xiv. 23.

multi  
sunt,  
dien  
parte  
(c) nu  
luti co  
thora  
rum  
concl  
Es  
cordi  
ad sur  
ginta  
stru  
mesti  
ventr  
tricul  
abun  
facul  
ipfi in  
nenti  
alime  
que  
trans  
vel Sp  
lenti  
gida  
ria va  
cepta  
Prin  
strum  
(a)  
lum



multitudinem quamlibet numerosam admittere possunt, & emittere, ut aditus sint faciles, & nulla ingrediendi, ac egrediendi obstacula. Tum in altissima eius parte, Capitis *Hypæthrum* (a) seu subdiale, (b) solarium (c) nunc dicunt, officulis octo, ut Medici numerant, veluti columellis, circumdatum. Deinde, spaciosissimam thoracis aulam, viginti quatuor costarum, velut pilarum peristylis cinctam. Interius triangulare pectoris conclaue, trium ossum concusu fabricatum.

Est deinde secretior in intimis Domus penetralibus cordis thalamus, seu geniale Principis cubile. Amplum ad sumendam corporis refectionem oris *Triclinium*, triginta duobus acuminatis dentiū officulis, ut cultris, instructū. Nisi maius dicere, *Tabernam carnariam*, aut domesticum *Macellum*, in quo carnes conciduntur, & ad ventriculi culinam, inibi coquendæ, deferuntur. Ventriculus profectò, siue stomachus, *Coquinam* refert, suis abundantem instrumentis, & ministerijs. in ea coctrix facultas, non secus, ac peritissimus coquus ventriculo ipsi insidens, suis cum administris, Attrahentibus, Detinentibus, ac Concoquentibus potentijs, toto conatu in alimenti sibi commissi decoctionem incumbit: ipsumque natiui ignis calore, ibidem perpetuò æstuantis, transmutat. *Folium* vicem præstant Pulmones: *Camini*, vel *Spiraculi*, aut *Insุมibili*, gurgulio. *Fornacis* semper calentis, *Iecur*, *Frigidarij*, in quo ad totius Domus usum frigida asseruatur, est cerebrum. Alia ad culinam necessaria vascula, sunt, *Folliculus fellis*, in quo flavabilis: *conceptaculum splenis*, in quo atra. Neque deest in hac Principis Domo, *Archium*, siue *Tabularium*, in quo instrumenta, litteræ, monumenta publica, tabulæ, & quæ

O 4 non

(a) Vitruvius quod sub æthra sit. (b) Plin. (c) Locus apertus columnis fultum.



non obliuisci conuenit, reconduntur. Constructum est illud in suprema contignatione Capitis, tribus distinctum cellulis, in quibus rerum omnium species, forma, notiones, veluti monumentorum, tum priuatarum, tum publicorum chartæ, ac memorialia detinentur, donec extrahendi inde sit necessitas. *Scala* in gyrum ascensiles, vel cochleas exhibet in corpore humano tot venæ erraticæ, præterea, nerui & arteriæ, per quæ velociter, spiritus, sanguis, aquæ, sursum, deorsum, dextrorsum sinistrorsum feruntur. *Vehiculi*, in Domino necessarij, vsum præstat pituita. *Fenestras* expriment oculi suo cum reticulato textu. *Tecti* instar est calua, seu Cranium.

*BIBLIOTHECÆ* formam obtinet in penitâ hominis parte, Memoria. *Comitij* aut conciliabuli, in quo consilia tractantur, Intellectus: *Penetrabile* est Voluntas. Item, Homo constat quattuor *Elementis*, vt lapide & ligno in vnum corpus compaginatis, vnionis calce. Accedit forma, tum externa, quam videmus oculis, tum interna, quæ dicitur Anima, & incurrit in visum intelligentiæ. *Fundamentum* in corpore humano, sunt pedes: *Columna*, crura: *Parietes*, Caro: *Tectorium*, Cutis: *Tectum* pectinatim adsurgens, vel rotundatum, vertex capitis. Denique, quod ad Domus huius firmitatem mirè conducit, *Fulcimenta*, seu sustentacula sunt ossa, non pauciora, quam trecenta tredecim, quæ accurate in hac summi Principis fabrica, à Medicis, eius conseruatoribus, numerantur. (a) Atque hæc in Homine est *Domus Exterior*, præterquam est *Interior* alia: sequor enim distinctionem Doctoris Gentium, (b) qui interiorem hominem opponit exteriori. Sic duplex est *Domus Exterior & Interior*: at hæc in illa.

AR-

(a) *Vesalius lib. x. cap. 39. ex Galeno.* (b) *Ad Roman. vii.*